

P V I S

1 6 1 8

- I. Philastrii Catalogus Hereticum.  
II. D. Honorii de Hereticis.  
III. D. Bugenavii distributio Aethiopica Historia passionis Christi.  
IV. D. Garci Drololar Concionum Pestilentiarum.  
V. D. Garci Delineatio Concionum Pestilentiarum.  
VI. Basilius Magni Oratio ad Adolescentes.  
VII. Intimatio futili ci rimplici.  
VIII. Theologorum Saxoniorum Ecclae Invitatoria ad universos Theologos.  
IX. D. Bergii Professoris Francofurtensis Disputationes Theologicae.  
X. M. Sachsi Disquisitio adversus Meisterium.  
XI. Montani Virga in Germanum et Hungaricum.  
XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolas Hildegardis et Gramini.  
XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevia Scholae Hildegardis et Gramini.  
XIV. Galeni Disputatio de Abstracto et Concreto.  
XV. Pelargi Disputatio de Ascensione Christi.  
XVI. M. Wolfgangi Theses de Justitia et Falsitate.  
XVII. D. Fusseli Disputatio de Deo.  
XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialogo Theodori. Secundo.  
XIX. de Deo.  
XX. de Peccato.  
XXI. de tribus in Contraitione Homini Concurrentibus.  
XXII. de Justificatione.  
XXIII. de Bonis Operibus.  
XXIV. de Ecclesia.

Maa B.

## PROPOSITIONES

Ex Decimo Examinis Melanchthoniani

laco ( qui est de Pœnitentia ) depromtæ, illu-  
stratae, & ad piam ac placidam συγκέντρων pro-  
positæ, in illustri Soraborum Gy-  
mnasio.

P R A E S I D E

M. JOHANNE THEOPOLDO,  
Professore, Ministro Verbi, & Super-  
intendente.

R E S P O N D E N T E

ADAMO FORVVERCIO Bernburgensi  
Anhaltino,

a. d. 3. Novemb. horis ab octava antemeridianis,  
Anno m̄s XCVIYovias 1615.



Typis Zachariae Dörfferi,  
Anno M. DC. XV.





## Propositiones ex loco de Pœnitentia,

(quæ Græcis μετάνοια, μεταμέλεια, ἐπιτερφή, ταλιγ-  
γευεσία, ἀνακαίνωσις, sive ἀνανίνωσις, Latinis,  
resipiscientia, conversio, regeneratio,  
renovatio dicitur.)

### I.

**R**oximè de Baptismo dissertatio  
fuit instituta: Nunc de cœna Domini di-  
sputatio erat habenda: Sed noster autor  
interserit doctrinā de Pœnitentia, quod,  
qui sacratissimo illo cœpulo dignè frui expetunt, prius  
probare scipios, de sententia Apostoli, oporteat: id  
quod absq; vera pœnitentia fieri non potest.

### II.

Quod ad notationem vocabuli attinet, non ob-  
scrum est, pœnitentiam nuncupatam à verbo pœni-  
tere, quod est improbare & rejicere, quod antea pla-  
cuerat. Quemadmodum & pœnitentia propriè est  
reprehensio & improbatio consilii, aut facti, quod an-  
tea probavimus.

### III.

Synechdochicè verò, pro tota ad D E u M saluta-  
ri conversione accipitur, quæ est mutatio mentis, vo-  
luntatis, & cordis pravi in bonum, facta per Spiritum  
Sanctum & Verbum, ita ut seriò doleamus propter  
peccata nostra, & fide in Christum accipiamus remis-  
sionem peccatorum, reconciliationem, justificatio-

A 2 nem

nem & vivificationem & inchoemus novam obedi-  
entiam. Idem sibi vult autor noster, quando inquit:  
Poenitentia seu conversio ad DEUM est Contritio,  
&c.

IV.

Hinc partes poenitentiae ab autore nostro, bono  
consilio, numerantur tres, nempe Contritio, Fides, &  
Nova obedientia.

V.

Contritio est pavor, ortus ex agnitione irae DEI  
adversus peccata nostra, quem subsequitur dolor, quod  
DEUM offendimus.

VI.

Ut ut verò necessaria sit contritio: tamen nec  
sufficiens esse potest, nec remissionem peccatorum  
meretur.

VII.

Solā enim fide, (quae est secunda poenitentiae pars,  
& de cuius definitione suprà in loco de justificatione  
differuimus) gratis, propter Mediatorem, DEO recon-  
ciliamur.

VIII.

Ideoq; satisfactiones, & vota confessionesq; mo-  
naстicæ, item purgatorium & cætera hujus furfuris,  
meræ sunt nugæ, nec enumeratio singulorum delicto-  
rum quicquam habet momenti ad imprecationem  
veniæ apud DEUM.

IX.

Nova obedientia (quæ auctori nostro est tertia poe-  
nitentiae pars) est, secundum Apostolum Paulum, mi-  
litare bonam militiam, retinere fidem, & bonam con-  
scientiam. 1.Tim.1.

X. Alii



X.

Alii (cum quibus autor noster non pugnat, cum mortificatio nihil aliud sit quam contritio, & vivificatio comprehendat in se fidem cum fructibus) duas faciunt pœnitentiæ seu conversionis partes, nempe mortificationem Veteris hominis, sive carnis, & vivificationem Novi hominis, sive spiritus, quibus phrasibus utitur Apostolus Rom. 6. v. 4. 5. 6. Rom. 8. v. 13. Eph. 4. v. 22. 23. 24. Coloss. 3. v. 9. 10.

XI.

Vetus homo Apostolo est natura hominis corrupta.

XII.

Novus homo est natura hominis ad imaginem Dei instaurata.

XIII.

Mortificatio veteris hominis seu carnis, est abnegatio & abolitio pravitatis nostræ in nobis, trib. constans partibus sive gradibus.

1. Agnitione peccati & iræ Dei.
2. Dolore propter peccatum, & propter Deum offensum.
3. Odio & detestatione peccati.

XIV.

Vivificatio Novi hominis seu Spiritus, est vera lætitia in Deo per Christum, & serium ac promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei, & præstandi obedientiam ipsi gratam, constans & ipsa tribus gradibus, mortificationi contrariis.

1. Agnitione & fiducia misericordiæ in Christo.

A 3

2. Lat. I.



i. Lætitia inde orta, de D<sup>O</sup> reconciliato per Christum.

ii. Ardentis studio iustitiae & Novæ obedientiae, seu non amplius peccandi: Sed gratitudinem D<sup>O</sup> per totam vitam præstandi, & amorem eius retinendi, quod studium est ipsa nova obedientia.

XV.

Hactenus de definitione & partibus pœnitentia: Ex quibus manifestum sit, in conversione hominis ad DEUM concurrere hæc tria, nempe Verbum, (cum quo sigilla, ut appendices, cohærent) Spiritum Sanctum, & Hominem convertendum, ut etiam in loco de libero arbitrio dictum est.

XVI.

Verbum est tūm legis, (Sine lege enim non est cognitio peccati, atq; ita nec dolor de peccato, neq; peccati mortificatio) tūm Euangeli, (Quia sine eo non est fides, sine fide non est dilectio D<sup>E</sup>I, nec peccati odium, & per consequens hominis novi vivificatione nulla).

XVII.

Pertinent hæc ad *αἰτίαν ὀργανικήν*, sive instrumentalem, à cuius consideratione ordimur in hac doctrina, non ratione dignitatis, (dignior enim est, quæ sequitur) sed ordinis seu modi in nobis agendi & operandi, divinitus sanciti & patefacti.

XVIII.

Spiritus sanctus est *κύριον αἴτιον*, hoc est, causa efficiens primaria seu principalis. Mentione autem Spiritus Sancti nequaquam excludimus vel Patrem vel Filium, sed distinguimus in mysterio sacro sanctæ Trinitatis, ordinem agendi.

XIX.

Homi-



Hominis mens, voluntas & cor, considerantur hic non  
ut ubjectum planè ταθηκον sive purè passivum, ut lo-  
quuntur βλασικοι: sed etiam ut ενδεχόμενον seu recipiens,

XX.

Nec enim in conversione homo se habet ut  
brutum aut truncus, cum non concurrat ut subje-  
ctum ἀψυχον, id est, inanime, aut ἀλογον, id est, ratio-  
nis expers: Sed mens mota à Spiritu Sancto, per legem  
agnoscere incipit peccati atrocitatem: Et per Euan-  
gelium, quod monstrat Christum, novam lucem ac-  
quirit; unde cor, (quod cum voluntate in seriis mo-  
tibus copulari constat) tremere incipit, simulque vi-  
trice fide paulatim quasi ex terroribus mortis elucta-  
ri atq; reviviscere.

XXI.

Intuetur igitur homo in se, fulmine legis per-  
terrefactus, peccatum & mortem. In Christo vero  
voce Evangelii patefacto, & declarato, justitiam ac  
vitam, quæ sunt καιρήλια pretioso ipius sanguine par-  
ta. Considerat & finem, qui triplex est. 1. Gloria *i. Cor. 10.6.32*  
DEI. 2. Beatitudo nostra æterna. 3. Aliorum et. *Joh. 3. 6. 3.5.*  
*Luc. 22. 6. 32.*  
iam conversio.

XXII.

Porrò, etiamsi summe necessaria sit conversio,  
in hac tamen vita non perficitur, sed est in perpetuo *Joh. 3. 6. 3.5.*  
motu, donec in coelesti vita perfectionem tandem  
assequatur: id quod sequentibus probatur rationi-  
bus.

1. Testatur hoc Scriptura expressè inquiens: Ex  
parte cognoscimus &c. *i. Cor. 13. v. 9.*

2. Querelæ, gemitus & preces Sanctorum. *Psal. 19.*  
v. 13. Ab occultis meis munda me. *Rom. 7. v. 24.* Mi-  
serere homo, quis me liberabit ab hoc corpore mor-

tis?



tis? Matth. 6. v. 12. Luc. 11. v. 4. Remitte nobis &c.

3. Lucta carnis & spiritus in conversis, de qua Rom. 8. v. 4. & Galat. 5 v. 17. scribitur: Caro concupiscit contra spiritum.

4. Hortationes Prophetarum & Apostolorum, ut conversi magis convertantur. Jerem. 4. Rom. 8. Apoc. 22. Justus justificetur adhuc, qui sanctus est, sanctificetur adhuc.

5. Idem etiam hâc evidentissimâ ratione liquidò demonstratur. Nec mortificatio carnis, nec vivificatio Spiritus, (quae sunt quasi essentiales partes conversionis) in hâc vitâ integra est, aut absoluta, in Sanctis.

Ergo nec tota conversio Sanctorum integra aut absoluta esse potest in hâc vitâ.

Si probatio requiratur, de mortificatione res plena est, cùm constet, Sanctos in hâc vitâ non modò luctari perpétuò cum concupiscentia carnis, verùm etiam in lucta ipsa non raro succumbere ad tempus, & subinde peccare, labi, Deumq; offendere, licet sua peccata non defendant, sed potius detestentur, deplorent, ac vitare studeant. De vivificationis autem imperfectione, testatur eadem lucta, & certè, cùm cognitio tantum sit ex parte, renovatio mentis, voluntatis, & cordis, etiam non potest non esse talis.

### XXIII,

Etsi verò, cur Deus in hac vita conversionem in nobis non perficiat, cùm possit, scrutari & investigare scrupulosius non debcamus: aliquas tamen adducere possumus ex verbo patefacto rationes, quarum

1. Est, ut Sancti hâc ratione humiliati exerceantur in fide, patientiâ, precibus, lucta adversus carnem, nec superbiant opinione perfectionis, sed quotidiè orent:



orent: Remitte nobis peccata. Item: Ne ingrediariis  
in judicium cum servo tuo. Psal 143.

2. ut ad patientiam magis ac magis contendant,  
quamq; ardentiūs desiderent. Apoc 22.

3. ut, contemtō hoc mundo ad vitam cœlestē  
magis adspirent, utpote, & cui intelligant suam perfe-  
ctionem esse reservatam. Coloss 3. v. 2. Superna cura-  
te, &c. Item 1. Joh 3. v. 2. Nondum patefactum est,  
quod erimus. Scimus autem fore, ut, cùm patefactus  
ipse fuerit, similes ei simus futuri.

#### XXIV.

Fructus & effectus pœnitentiaæ sunt, officia pœnita-  
tis erga Deum & charitatis erga proximum.

#### XXV.

Remissio autem peccatorum, iustitia & vita æter-  
na, non sunt effectus pœnitentiaæ, aut merces ex meri-  
to data: sed consequens, seu merces gratuita, sicut &  
fidei & bonorum operum: aliàs sibi non constaret  
præceptum illud Domini; Cùm omnia feceritis, di-  
cite: Servi inutiles sumus. Luc. 17. v. 10.

#### XXVI.

Pugnant cum doctrina de salutari pœnitentia,  
carnalis securitas, Cainica desperatio, hypocrisis mo-  
naistica, nec non cæteri errores & furores Papistarum  
& Novatianorum.

#### XXVII.

Novatianorum dogma fuit, lapsis post baptismū  
in manifesta scelera, negandam esse absolutionem  
& redditum ad Ecclesiam: quod manifestè impium es-  
se, ostendunt sequentes rationes:

1. A juramento Dei: Vivo ego, dicit Dominus,  
nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.  
Ezech. 18. & 33.

B 2, ab



2. Ab exemplis jam olim receptorum in gratiam post graves lapsus, ut Petri Apostoli, inceſti apud Corinthios, adolescentis commendati à Johanne Evangelista, secundum historiam Ecclesiasticam Eusebii: Item Ecclesiæ Galatarum, & aliarum Ecclesiarū, quæ Apoc. 2. & 3. ad pœnitentiam revocantur. Hujusmodi. n. exemplis Meletium ipsum (Novati sectatorem) refutâſſe jam olim legitur Petrus Episcopus Alexandrinus.

3. A præcepto Domini. Remitte septuagies septies. Matth. 18. ubi per Enallagen numeri finiti pro infinito, ad finem usq; vitæ extenditur promissio facta resipiscentibus.

4. A fine concionum pœnitentiæ, quæ nullius momenti essent futuræ, ac fruſtra proponerentur, niſi lapsis rursus in Ecclesiam aditus per seriam pœnitentiam pateret.

## XXVIII.

Pontificiorum errores, seu furores potius in hac doctrina sunt hi præcipui.

1. Quod nullam faciunt mentionem Mediatoris, atq; ita privant anxias conscientias vera & solida cōfolatione, in qua debebant acquiescere.

2. Fingunt, contritionem posse ac debere esse ſufficientem pro peccatis.

3. Eidem contritioni falſo tribuunt meritum remissionis peccatorum.

4. Confessionem apud ministrum, seu enumerationem peccatorum omnium & singulorum neceſſariam statuunt ad remissionem.

5. Satisfactiones (quas ſic vocant) Canonicas, quæ ſunt opera, ſeu ritus, non à Deo, ſed ab hominib. mandati



mandati, necessariò requiri pro pœnis peccatorum æternis, sive purgatoriis, garriunt.

XXIX.

Quæ tetra & horrenda Papistarum dogmata facile est ex Scripturâ refutare.

XXX.

Præterquam enim quod enumeratio peccatorum est res impossibilis, & dolores in contritione, licet necessarii, sufficientes tamen esse nunquam possunt, immo, si excedant modum, ut in timore servili, mergunt homines in desperationem: opinio meriti proprii, est blasphemia in meritum Filii Dei, sicut etiam satisfactionis commentum obscurat satisfactionem à Filio Dei pro nobis præstitum in ara crucis.

XXXI.

Tota igitur sacra Scriptura impuris Monachis clamat. Ex innumeris autem testimoniis hæc, ut præcipua, piis in conspectu sint.

Psal. 90. v. 11. Quis novit magnitudinem iræ tuæ? Ergo non potest esse sufficiens in nobis contritio.

Tit. 3. v. 5. Non ex operibus justis, quæ fecerimus nos, sed ex misericordia servavit nos &c. E. vana est nostri meriti ostentatio.

Psal. 19. v. 13. Delicta quis intelligit? Etiam ab occultis munda me, Domine. E. Non potest singulorum lapsuum præstari à nobis recordatio, nedum enumeratio, qualem in confessione ista auriculari, per miserabilem conscientiarum carnificinam, efflagitant.

Esa. 29. v. 13. & Matth. 15. v. 8. Frustra me colunt mandatis hominum. E. Satisfactiones, quas Cano-

A 2 nicas



nicas appellant, sunt inania rancidorum Monachorum somnia & commenta, ut suprà quoq; th̄esibus 6.7.8. ostentum est.

### COROLLARIA.

#### I.

**R**emissio culpe non est distincta à remissione pæna & erroris.

II. Remissio culpe est distincta à remissione pæna temporalis in hac vita.

III. Spontanea confessio, & enumeratio quorundam delictorum coram Ministris Ecclesia, est adiutorium.

IV. Dictum illud: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, non loquitur de satisfactione Canonica, à Monachis excogitata, sed de studio nova obedientie secundum legem Dei. 1. Tim. 1. Militia bonam militiam, &c. Ephes. 6. Quifuratus est, non furetur amplius, &c.

Δόξα Θεῷ σὺ ψήσις.



3h 4245



X 22 M 138

VD 17

AC





